



4  
DELICIARUM  
EPISTOLICARVM

FESTIVALIUM

*Exercitatio Tertia*

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Rectore Gymnasii Hallensis

*Respondente*

JOACHIMO DÖBELINO,

*Burgensi Saxone*

*in*

FESTO STEPHANI

*cl. DC. XLIII.*

---

HALLIS SAXONUM

*Typis Hæredum Melchioris Oel-  
schlegelij.*



VIRIS

*Amplissimis, Consultissimis pariter ac Spectatissimis, Clarissimis*

Dn. JOHANNI HOPPIO,  
Reip. Bugensis Consuli Gravissimo,  
Patrono meritissimo.

Dn. JOHANNI KOHLIO,  
ejusdem Reip. Senatori Spectatissimo,  
Affini desideratissimo M, ecce-  
nati Vigilantissimo,

*Dn. Fautoribus ac Promotoribus singularibus*

D. Effert

Respon.





# EPISTOLÆ

in

FESTO STEPHANI

ANALYSIS.

Actor. 6. v. 8. & 7. 51.

THESIS I.



*N*abothus 3. Reg. 21. 13<sup>o</sup>  
quod vineam majorum  
suorum cedere nollet  
Achabo regi impio, Je-  
zabelis regina astutus  
agitur & lapidatur.  
S. Stephanus, quod  
vineam Domini Saba-  
oth Ecclesiam prodere nollet, à Synagogâ da-  
minatur & lapidatur. Geminum fatum ferè  
ob geminum factum: nolebat ille cedere, quia  
iure possidebat; nolebat & iste, quia firmiter  
fide credebat in eum, quem profitebatur.

2. Et uti inibi describitur Naboth; ita  
in hodiernâ Epistola habetur partim Stephe-



ni encomium, partim ejusdem martyrii.  
Encomium est tum de animæ dotib9, tum  
de gestis rebus, ut inibi, hic qualitas effectus  
proponatur. Et quidem illa conjuncti in Ste-  
phani descriptiōe v, 8. In quo parti ejus qua-  
litas ab accidentib9 desumpta, cujus subje-  
ctū respectu nominis, quod Stephan9 ut Gra-  
cū nomen, uti glossa ordinaria monet, idem de-  
notet, quod corona, quia, 1. quod percepturus  
erat in re, presagium nominis indicabat;  
quia 2. post crucem Christi primus corona co-  
ronatus est sublimiter, qui lapidatus est humi-  
liter. Ebraicè inquit Glossa, Stephanus est  
norma nostra: sed quo respexerit Glossator, non  
intelligitur, siquidem non Ebraicum, sed Gre-  
cum nomen.

3. Et respectu qualitatū quod plenus est  
fide et fortitudine: ista enim requiruntur, ut  
munia Apostoli expediantur fideliter, quem-  
admodum propterea Timotheum hortatur  
Paulus 2. Tim. 1, 14. ut habeat fidem, et  
2. Tim: 2, 1. ut habeat fortitudinem. Alii  
intelligunt per δύναμιν virtutem edendi mi-  
racula ex 1. Cor. 12, 6. Ad obtinendum quippe  
scopum fide et virtute Spiritus Sancti opus  
est. Unde Paulus enixè Deam rogat Eph. 3,  
16. ut fortitudine corroboremur, per Spiritū  
ejus in internum hominem, quo habitet Chri-  
stus



flus per fidem in cordibus nostris. Spiritus igitur sanctus, qui Stephano ut organo sanctificationis usus est, has largitus virtutes, quemadmodum & promisit Act. 1, 8.

4. Prædicatum continet tum actus divinos, quoad singularia, quod ediderit prodigia, quæ sunt insolita & supra naturam quædam facta: quemadmodum Christus etiam in ablegatione suorum discipulorum Marc. 16, 15. pollicitus est. Ideoq; non absq; verbi prædicatione talia edita intelliguntur, dum Marcus ait v. 20. loco allegato Dominum sermonem confirmasse per signa subsequents.

5. Quoad communia, quod signa magna fecerit, non mendacia, qualia & Pseudo Apostoli & Pseudo Christi, de quibus Matth. 28, 24. 2. Thes. 2, 9. sed veracia: siquidem tunc Ecclesia erat plantanda & confirmanda. Modò non sunt amplius propterea necessaria, dum valet in Ecclesia meritò illud Pauli Gal. 1, 8. etiamsi angelus è cælo aliud annuntiaverit, tamen sit anathema, quod & repetit v. 9.

6. Ideoq; non tam petenda modò, quàm cavenda; & si fieri contingat, accuratè ad veritatis in scriptura propositæ normam exigenda, à quâ si discrepent, & falsa dogmata cō-



firmement, simpliciter sunt repudianda, & in simplicitate fidei unice ac firmiter permanendum.

7. Tum objectum ubi fecerit, nempe in populo, qui ipsum & agnovit, & libenter primum audivit. Non itaq; in angulo debent fieri miracula, quia qua inibi fiunt, sunt suspecta, sed in publico, uti & Christus fecit testibus Evangelistis.

8. Distinctionem in disputatione, de qua universaliter quoad causam externam, & est in collegiorum collatione v. 9. In quo antecedens indefinitè quòd exorti sint quidam; siquidem, uti Christus habuit adversarios suos; ita ejus ministri; dum enim ille disseruit de Christo ex mortuis resuscitato, sese opposuerunt quidam. Definitè respectu loci, quòd fuerint è Synagogâ seu conventu scholastico: ita enim dicebantur Ebrais tum temporis propter conventus, in quibus Moses & Prophete prelegebantur & explicabantur, & de rebus sacris disputabatur, quemadmodum Historia Evangelica & Apostolica abundè restatur. Act. 13, 27, 15, 21. ut & Syrus interpretatur Joh. 16, 2. ἀποουα γω γ85 μιν σ8ου, exturbabunt vos è suis scholis Gerh. Har. c. 17 8. Articul super h. l.

9. Respectu Nominis, quòd fuerint  
è nm-



è numero Libertinorum religionis vel studiorum causa Hierosolymam profectorum. Et quidem non, quemadmodum Junius voluit, quasi Libertini sint, secundum Aegyptiacam, & Lybicum appellationem, labratae, quod & repetit in tractatu de Academia, c. 2. id quod Nicolaus Fullerus in Miscell. sacris lib. 2. c. 1. multis refutat, sed Libertini ex Romanis libertis dicti, quemadmodum & Syrus ita vocis coordinat, & ex Luc. 7, constat quod adificaverit unam; siquidem, multa schola Hierosolymis fuerunt: recensente Eragio in Pirke aboth numerata 481. quippe ex diversis provinciis, vel religionis, vel studiorum causa illuc venerunt. Sic Cyrenenses, Alexandrini, & Cilices & Asiani hoc loco recensentur ex Libertinorum schola prodisse, omnes insignes in omnibus scientiis & artibus.

10. Consequens est, quod disputaverint cum Stephano; nempe de ea ipsa materia, qua in superiore parte hujus capitis dicitur proposita; potissimum de Christo ex mortuis resuscitato, quod ipsis videbatur, uti & est, rationi contrarium: reliqua enim omnia crediderunt, sed ipsum a mortuis resuscitatum solum, inquit Augustinus, credunt Christiani.

11. Et quoad effectum & eventum



in resistendi negatione v. 10, in quo tūm in genere, quòd non potuerint resistere sapientiae: ita enim, promiserat, dum emiserat Christum suos Luc. 21, 15. Nec est sapientia, neq; intelligentia, nec consilium contra Dominum. Prov. 21, 30. Quod & Paulus demonstrat evidenter 1. Cor. 1, 18. & seq. ita ut per sapientiam hoc loco non intelligat mundanam & terrestrem; sed divinam & coelestem. Observent ergo hoc qui contra nituntur; aut convertentur per eam, aut evertentur. Nempe sic Christi vox est Job. 12, 48.

12. In specie autem, quòd nec potuerint spiritui, per quem locutus, resistere. Non enim locuti sunt ipsi, secundum Marc. 11, 13 sed Spiritus Sanctus. Huic verò quis potest resistere? confundet & omnes per verbum, dum potentia omni credenti. Id quamvis non in omnibus exemplaribus Graecis legatur, tamen Syrus habet, & contextus postulat.

13. Particulariter quoad rem est falsum testimonium, quomodo procuratum, cuius ostenditur occasio peculiaris in falso-  
rū testimonii subornatione v. 11. In quomodo  
in factis, quòd subornarint viros. Uti solent tyranni & subdoli: cum enim disputando nihil proficerent, aliā vi rem aggredi tentarunt,  
&



Et quem veris argumentis refutare non poterant, eum mendacius opprimere conabantur.

14. Et in verbis, quod dixerint ipsos audivisse Stephanum dicentem verba blasphemia in Mosen & DEVM. Ita scilicet antiquum obtrinebant, & veterem cantilenam cantillabant degeneres isti studiosi; quemadmodum & Christo, Joh. 8, 52. Paulo Act. 17, 18. Apostolis 2. Cor. 6, 8. uti describitur à Lucà, hoc crimen intentarunt. Et quod verissime ab eo dictum erat, in calumniã rapiebatur, & blasphemia reputabatur; nōsse quippe debuissent, fore, ut aliquando tempore Messie non destruatür Moses & eius præcepta, sed adimpleatur & recte explicetur; fuit enim Christi typus Moses.

15. Universalis in populi comotione v. 12. In quo factum, quod comoverint, nempe ad indignationem; nolebat, siquidem populus iudaicus discedere à sententiã crassa illa, ac si leges ipsa sint perpetuum duratura; propter quas & oppetebant mortem, & omnia tentabant. Propterea & perpetuò clamabant, templum Domini, templum Domini Jer. 7, 4, ac si domus isthac ita stabilita, ut cum Moisaicis cultibus in eternum non esset destruenda. Et subjectum, quod fuerit plebs, seniores &

a. 5

scri-



Scribæ commoti scilicet omnes; & verisimile est clamores calumniis excitatos fuisse, & seditionem in populo.

16. Et quomodo datum, in falsorum testimonio productione v. 13. In quo tū facta, quod statuerint tales falsos testes: supra enim fuit consilium, hic describitur adimpletum. Falsi autem vocantur, quia contra veritatem per calumniam ea proposuerunt, quae falsa fuerunt. Tum verba, quod dixerint. Homo iste non cessat loqui verba blasphema adversus legem, sanctumq; locum: ut per non cessare ostendatur pertinacia & obstinatio, quod à sententia sua disputando dimoveri non potuerit; & ut recenseatur quid intellexerint per Moysen & per legem nempe urbem Hierosolymam, & potissimum templum: ad quod toties provocarunt, quoties Propheta pœnas divinas annunciarunt. Sanctus quippe locus erat, non quia locus, quia alias Domini est terra omnis Ps. 24. 1. sed quatenus DEVS voluit ibi peculiari-ter coli, uti Moyses ipsis prescripserat.

17. Et confirmatio in à JESU Nazareno templi destructione v. 14. In quo ostenditur ratio universaliter probationis dum dicunt se audivisse Stephanum dicentem. Cum enim ipse Stephanus verè probasset, ipsum  
venis-



venisse Messiam, quem ipsi nolebant agnoscere, rapiunt hoc in calumniam, ac si esset falsum, quod tamen verissimum; & Nazarenum tanquam ex loco obscuro ortum cum Templi pompa conferunt, quò magis invisam reddant doctrinam. Solet enim ita humana malitia etiamnum calumnias vocare quæ Spiritus Sanctus in verbo suo prædixit, si applicentur & explicentur de iis, de quibus dicendum: quia in externis deliri herent homines, nec animum ad veritatem ipsam accollunt

18. Particulariter ac si calumnia foret JESUM Nazarenum destructurum templum & mutaturum instituta, quæ tradidit Moyses. Hoc capitale erat, quod tamen tota Scriptura prædixerat, omnia sacrificia significabant, omnes typi notabant, uti uberius in Epistola ad Ebraeos declaratur & probatur. Quis enim tam hospes in sacra scriptura, qui ignoret regnum Judaicum duraturum usq; dum scriptum ablatum fuerit Gen. 49. 10?

19. Quoad circumstantiam in Stephani angelicæ faciei apparitione. v. 15. In quo subjectum quod ii, qui sederint in concilio intuiti in eum omnes: ut qui expectabant responsum, & observabant, qua fronte objectum exciperet crimen, simulq; an indicium consternati



nati animi, uti apud reos accidere solet, obser-  
varent, vel in pallore vultus, vel in vocis per-  
turbatione, aliisve signis. Tum prædicatum  
quod viderint faciem ejus tanquam faciem  
Angeli. Id non intelligendum tantum de vul-  
tu non tristi, sed de inusitato & miraculoso  
quodam faciei splendore, quali apparere soliti  
fuere Angeli Matth. 28, 3. Condecorat nimi-  
rum DEUS famulorum suorum vultum uti  
Moysis Exod. 43, 29. 2. Cor. 3, 7. ut aspectu  
statim ipso percipiat, animos spectantium.

20. Partim habetur martyrium, tum  
activum contra hostes veritatis, in Apolo-  
getica defensione. Et de antiquis in populi  
Israëlitici descriptione ex sequentis capituli  
v. 51. In quo absolute tum quoad nequiti-  
am, & duræ cervicis, id est, refractarii, quem-  
admodum & ita populus Israëliticus dicitur  
quoad cervicem Exod. 32, 2. Deut. 9, 6.  
Nehem. 9, 16. quoad aures Jer. 6, 10. 9, 26.  
Tum quod incircumcisi corde & auribus:  
Duplex enim circumcisio est propria, que  
mandata à DEO, & altera Metaphorica,  
que sine manu facta, uti vocat Paulus Col. 2,  
11. & quidem incircumcisi corde dicuntur,  
qui in natura corrupta vitiis adhuc herent, &  
incircumcisi auribus, qui vocem DEI ne  
audire



audire quidem sustinent. Quoad contrari-  
am & refractariam malitiam, quod Sp. S.  
semper restiterint, uti tota Historia judaica  
in libris Mosis, Regum, Prophetarum abundè  
testatum reddit. Et causa est quare sint obstina-  
ti, quia volebant eum audire in verò, sed con-  
temnebant.

21. Comparatè, quod sicut Patres,  
ita & hi faciant: Mali scilicet corvi, ma-  
lum ovum. Nempè propterea in preceden-  
tibus majorum rebellium & impiorum narra-  
tionem instituit, ut ingenio & moribus esse  
horum similes declararet. nam duplex genus  
patrum illorum, piorum ut Abraham, Isaac  
Jacob, & impiorum qui hostes cum hisce om-  
parat.

22. Et de Prophetarum trucidatio-  
ne v. 52. In quo in genere de piis antece-  
dens levius figuratim per interrogationem  
dum quærit, quos Prophetas non sint per-  
secuti patres? non enim novum aut insolens  
judeis, ut tota loquitur scriptura sacra, persequi  
ipsos fideles Doctores. Conqueruntur propter-  
ea omnes, Zacharias 2. Paralip. 24, 21. idem  
experens Jeremias c. 38, 4. etiam Christus  
Matth. 23, 37. Tum consequens gravius,  
quod occiderint eos, qui prædicarunt de  
ad-



adventu iusti. Tanta enim furore ferebantur  
adversus Dei legatos, ut non veriti homicidium  
committere etiam in templo sacro, quod scelus  
Christus ipse objicit ipsis *Matth. 23. 27. Mar.  
19. 49.*

23. In specie de justo, per quem intel-  
ligit Christum ex *Es. 53. 11. Jerem. 23. 25.*  
cujus dicuntur proditores & occisores, sicuti te-  
statur Historia passionis. Patrum scilicet ma-  
litiam imitari non solum, sed etiam superarunt  
dum justum, siquidem in ore eius nullus dolus  
inventus, prodiderunt, & sententiis suis da-  
mnatum Pilato ad ignominiosissimum crucis  
supplicium tradiderunt.

24. De presentibus in legum vio-  
latione v. 53 In quo de legislatione, quod ac-  
ceperint eam per dispositiones Angelorum, quia  
enim legis violata Stephanum accusaverant,  
*c. 6, 13. & 14.* per retorsionem illos accusat,  
perinde ut Christus fecerat *Johan. 5, 45.* Di-  
cit autem per dispositiones Angelorum, ut sint  
ipsorum perfidei & contumacia testes, nempe  
factum inter medios exercitus angelorum sti-  
pantium honoris & officii causa *DEUM,*  
tanquam imperatorem suum, uti videre licet  
*Deut. 33, 2. Gal. 3, 19.* solet enim eis pro *ev*  
sape poni apud Ebraeos *Gen. 49, 29.* in *N. T.*  
*Matth:*



Matth 2, 23. habitavit ad civitatem pro  
in civitate; baptisatus est a Iohanne in Ior-  
danem pro in Iordane Marc. 1. Etiam in  
profanis autoribus, apud Diudorum ἐς Συ-  
ρακίους δὲ πύσσιν pro ἐν Συρακίους, & De-  
mosthenem εἰς αὐτὰ ἄ λέγω pro ἐν αὐτοῖς  
τῶν εἰ σεφάνων. Et Euripides in Abeso εἰς  
καιρὸν ἦλθεν pro ἐν καιρῶ. Syrus habet  
per mandatum angeli, in singulari numero &  
videtur Christum intelligere.

25. Et de neglecta observatione,  
quod eam tamen non servarint. Unde tot  
quærelæ, tot miseriæ & pœnæ: quotiescunq; e-  
nim ista leguntur in sacris, toties præmittuntur  
ea, ipsos viam Domini non observasse.

26. Tum in indignatione v. 54. in quo  
modus quod, dum audierint ista; non qua-  
si auditus sit in culpa, sed diaboli & ipsorum  
excœcatorum hominum seu furiarum potius  
infernaliū malitia: Verbum enim Evangelii  
ipsis ad salutem dabatur, propterea audiebant.

27. Tum effectus & accidentarius,  
quod disfecti cordibus suis; nempe disseca-  
bantur quasi serra, hoc enim innuit verbum  
Græcum, rumpebantur quasi ilia ipsorum præ  
excandescencia & furore.

28. Et externus, quod striduerint dē  
tibus suis in eum instar rabidorum canum, ac



si discerpere voluissent. Ita nimirum fremit  
& furit orbis & orcus, quando audit Christum  
constanter predicari.

29. Et pro gloria majestatis, cu-  
jus circumstantia in Christi revelatione v. 55  
In quo mod<sup>o</sup>, cum esset plenus Spiritu Sancto:  
describitur scilicet status ejus cum in tanto ad-  
versariorum fremitu non aliud quam mortis  
supplicium sibi ingruere videret, nec ulla spes  
auxilii humani affulgeret: illustri quodam  
miraculo auxilium prestabatur à Domino,  
cujus causam agebat, & cui unice confisus con-  
stans manebat.

30. Et effectus in genere, quòd  
intensus in cœlum oculis fuerit, inde enim  
expectabat & accipiebat auxilium, ut deno-  
taret devotionis modum.

31. In specie dum vidit gloriam Dei:  
quo denotatur majestas: hac enim est DEI  
gloria, qua plena est omnis terra: Esa. 6, 3. Ni-  
hil enim, si essentialiter sumitur, à DEI essen-  
tiâ est distinctum; si verò comparatè considera-  
tur, notat celebrationem ac agnitionem ma-  
jestatis istius, qua subjectivè est in creaturis  
rationalibus DEVM agnoscentibus & predi-  
cantibus.

32. Tum JESUM stantem à dextris  
seu



seu virtutis DEI secundum promissionem Ps.  
110, 2. quom locum ipse allegat Apostolus 1.  
Cor. 15, 25. Significat autem nihil aliud quã  
regnare, & omnia sibi subiecta habere Eph. 4,  
10. non quasi uno in loco, uti volunt quidam,  
sed quod ubiq; potentissime & presentissime re-  
gnet. Quomodo enim alias Christus stans à  
dextris DEI, potuisset videri, quum corpus  
Christi quantitatem, incomparabiliter mino-  
rem obtineat, quã minutissima stella. Visibi-  
liter ergo Christus stans à dextris Dei in uno  
ubi apparet, ibi interim invisibiliter ubiq; po-  
tenter regnat. Id quod denotatur dum dicitur  
dextera virtutis. Stans autem apparet tanquã  
paratus ad ferendum auxilium & hostes pu-  
niendos. ita Ambrosius l. 10. Ep. 82, ait:  
stabat JESUS quasi advocatus, stabat qua-  
si sollicitus ut Stephanum athletham suum  
certantem juvaret. Stabat quasi paratus, ut  
juvaret suum martyrem. Quod idem habet  
Gregorius in Hom. ad ascensionis. Quamvis  
stare interdum etiam idem sit, quod existere  
2. Sam. 24, 16. Paral. 21, 15.

33. Forma est visionis attestatio v. 56  
In quo tum de re, quod dixerit se videre cœ-  
los apertos, licet enim ipsi soli hac divina  
visio objecta fuerit, non tamen tacuit eam a-

b

pucl



pu<sup>d</sup> impiam multitudinem; tum de persona,  
quòd viderit filium hominis stantem à dextris  
D'EI, ut illos moneret, durum fore contra sti-  
mulum calcitrare Act. 9, 5. sibi autem in  
ignominia mortis tamen gloria coronam ad-  
ferri.

34. Martyrium passivum habet an-  
tecedens in indignatione v. 57. in quo re-  
spectu conatum, quod exclamaverint vo-  
ce magnâ, quo vesaniam probârunt, dum in-  
sanis vociferationibus auditui ulteriori voci  
Stephani resistebant, ne audiri amplius possit.  
Tum quòd continuerint aures, ne vel invi-  
ti illum audire cogantur, uti solent aspides ob-  
thurare easdem Ps. 58, 5. quemadmodum &  
aspidum progenies eosdem vocavit. Matth. 3. 7.  
& Christus Matth. 23, 33.

35. Respectu factorum quòd impe-  
tum fecerint unanimiter in eum. Initiò quã-  
dam iudicii formam & juris pratextum præ-  
se ferebant, sed postea manifestam tyrannidem  
exercuerunt, & quidem, quod magis miran-  
dum, unanimiter, ne ullus exciperetur.

36 Et in supplicii inchoatione v. 58  
In quo tum nota processum, quòd eje-  
ctum è civitate lapidaverint. Extruserunt  
enim & non dignum iudicaverunt, cum ipsi eo-  
dem



dem indigni Ebr. 10, 38. quod & Christo oba-  
tigit, quia soliti sunt extra urbem, ne profana-  
retur, supplicium infligere, simulq; inter eji-  
ciendum lapidabant, qua poena blasphemato-  
rum secundum legem Moysis.

37. Tum testimonium, quod testes  
deposuerunt ad pedes Saulis, quia  
habebat potestatem in vincula conjiciendi &  
persequendi Christianos, ut testarentur, se una  
cum illo facere. Vestes detractas Stephani  
in testimonium ejus rei deponunt, & Saulis  
quidem, quia consenserat in necem ejus c. 8, 1.  
suas vero deposuerunt vestes, juxta Moysis  
prescriptum. Deut. 17, 7. quo ad carnificinam  
expeditiores essent.

38. Consequens est partim in ipsius  
lapidatione v. 59. In quo de hostibus, quod  
lapidaverint Stephanum. Antea enim tan-  
tum lapidibus insecuti fuerant ipsum, modo  
obruunt & trucidant.

39. Et de Stephano seu Martyre in  
genere quod invocaverit. Ideoq; verum  
Deum agnovit. In specie quoad objectum,  
quod dixerit: in mortis agone. Domine Jesu  
ubi non est, uti Antitrinitarius voluit, Geniti-  
vus, sed vocativus, quia 1. non dicitur in for-  
mibus  $\chi\rho\iota\sigma\tau\acute{\iota}\varsigma$   $\text{I}\eta\sigma\acute{\upsilon}\varsigma$  sed absq; articulo. 2. quia

b 2

nul-



nullibi taliter hac formula expressa legitur, sed  
in vocativo, uti e Apoc. 22, 20. Deniq<sup>3</sup>, qui  
in versione Syriaca habetur Domine noster IESU.

40. Quoad desiderium quò suscipi-  
at Spiritum, a quo enim erat, ad eundem  
venire desiderabat, sequebaturq<sup>3</sup> Christi dis-  
cipulus & Martyrium primicerius Christum  
Luc. 23, 34. & latronem, qui idem optabat.

41. Et in eius expiratione v. 60. In  
quo antecedens in gestibus, quòd factus fu-  
eri supplex, uti devoti solent Oratores. Est  
enim genuflexio devota mentis testificatio. Et  
quòd clamaverit voce magna, ut ab omni-  
bus exaudiretur, quemadmodum & idem Chri-  
stus in Cruce.

42. In precibus quòd rogaverit, ne  
statuatur illis peccatum. Hoc est, ne inputetur  
uti verbum statuendi hanc significationem ha-  
bet.

43. Consequens, quod cum hoc  
dixisset, obdormiverit. Ita coram mundo  
truculentam morte videtur perisse, coram Deo  
verò traditus suavi somno, cui alias mors pio-  
rū comparatur, respectu corporis, quod in ex-  
tremo die ex morte velut e somno excitabitur  
ad vitam immortalem ex Apocal. 14, 13.



## HINC NOTA.

1. Non poterant resistere.] Considera verbi divini efficaciam contra quod nihil valet ut discas eidem niti.

2. Homo iste non cessat verba blasphema] considera mundum veritatem vocare blasphemiam, ut discas non esse novum si idem contingat & veritatem audire nolunt.

3. Dissecabantur eordibus] considera impios indignari, ac si velint dirumpi propter veritatem, tu discas mundi ingenium turbulentum & violentum.

---

## Questiones Philologicae ex Evangelio.

Qui propriè sit ἀρχιερεὺς?

1. Cornelius Bertamus de Rep. c. 18. arbitratur omnes sacerdotes ita appellari; sed hallucinatur. Vel enim summus eorum, qui unicus semper erat tunc, tempore etiam illo, quo venalis fuit & desultoria ea dignitas: licet Abulensis 2 Reg. 8. quest. 28. Sigonius. l. 5. c. 2. Toletus in Iohan. 18 annotatione prima, Pineda de rebus Salo-

mo.



monis l. 2. c. 4. sect. 1. l. 5. c. 13. sect. 7. Beza  
ad Marc. c. 2. v. 26. Montacutius in Ana-  
lectis exercitatione sect. 4. contrarium ve-  
lint. Vel lupremi quidem pontifices di-  
versis tamen temporibus, eodem munere functi  
uti Iosephus Antiquitatum l. 20. c. 6. &  
Seldenius in De successione Pontif. He-  
brae. observat. vel Pontifex cum vicario,  
qui & ipse δεξιτερως dicitur, apud Iosephum  
l. 18. c. 8. vel qui ex genere pontificali o-  
riundi erant, spem habentes ex jure recepto  
in pontificatum succedendi. Act. 9, 6. & 19, 13  
Vel denique capita classium 24. sacerdotia-  
lium à Davide institutorum, quod ex no-  
mine & re ipsa egregie post alios ostendit  
l'Empereur ad Bertanum. Unde quan-  
do Annas & Caiphas pontifices bini conjun-  
guntur, Annas vicarius Pontificis summi  
intelligitur: propterea quia ante functus  
hoc officio, uti Jonathan praefertur Anano  
apud Iosephum in l. 2. desolationis cap. 11.  
& quia socer erat Caipha, & potestatem  
summam in populo Judaico tenebat.

Quid per scribas intelligatur?

2. Non sunt Politici uti l'Empereur  
p. 381, de Dieu ad Act. 19, 35, vult: qualis  
etiam



etiam à 70 interpretibus passim intelliguntur  
Ios. 1, 10. nã ex his qdẽ saltem exsecuti sunt mã  
data τὼν συνέδρων, nonnulli sententiam con-  
ceperunt, uti est in Misna Sanhedrim cap. 4.  
S. 3. Sed Ecclesiastici qui legis erant periti, &  
inde in Synedrium magnum allekti, qui & scri-  
be populi vocantur, Matth 2, 4. Secus ac Scali-  
ger in Elencho Trihæresium c. 2. opinatur.  
Videatur Casaubonus exerc. 1. Tm. 9. Capel-  
la in vindiciis Casauboni l. 3. c. 12. Montacu-  
tius in Analectis exerc. 3. sect. 1. Sigonius l. 5.  
c. 10. Grotius l. 6. c. 12.

### Ad Respondentem.

**D**Ebilis est ratio, quin planè nulla, paternos  
Ad mores si quis provocat usq; suos.  
Sic templum, templum, templum Iudæa solebat  
Gens clamare, licet pergeret omne scelus.  
Debilitabat at hoc Stephanus ratiõe sophisma,  
Numine qui plenus maxima signa dedit.  
Non mos, non templum, non Moses q̄ppe salutẽ  
Prestat at hanc Iesu gratia sola parit.  
Audiit ut Synagoga fuit dissecta furore  
Cordibus, & fremuit dentibus ipsa suis.  
At Stephanos cœlos ad apertos vidit, & addit  
Ad dextram Iesus stat Deus ipse, Dei.  
Plebs ubi percepit percussa furore, repente  
Saxorum Stephani tempora grando petit.  
Saxa



*Saxa necant, animam, sed dixit suscipellesu,  
Et supplex ut non vindicet ista rogat.  
Hoc Lucas in Apostolicis docet actibus. Istud  
DEBELINUS in his tuncemasi rursus habet.  
Talia si pergit quosq, DEBELINUS, ut ille,  
Debilis hanc, fortis testis at esse potest.*

*optae  
GVEINZIUS.*

**Α** θλῆντισιβαρὸν σῆμμα καρῆατι  
κυκλᾶται σφαλερῶ δόξα παλαίσματος,  
καί μιν Σιδονίης χλαινοὶ ἀνωφόρα  
σπινθῆρ ἀμφιτέτης πέπλα βαλόμενοι.  
τὴν δὲ πνευματικὴν δῆρην ἐπάλμενον  
Νικητὴν σεφάνω ἀγνοὶ ἀτέρμον.  
βρίθου βιοτῆς βηλοὶ ἕως φόροι.  
τοῖον γῆν ΣΤΕΦΑΝΟΣ σῆμμα ποθόμενοι.  
Μοίρα πρὸςδέχεται. Σὺ δὲ ΔΟΒΗΛΙΝΕ  
σπέυσας ἡδυπαθεῖ αἰε γραφήμασι  
Μῆνον, καὶ σεφάνον χειρῶ ἀγακλυτὸν  
λήψη, καὶ θεμιδὸν χλαῖναν ἐφέσσει!

CASPAR ALEXANDRI.

F I N I S.



Instandsetzungsschein

ersten und letzten Lagen des Buchblocks  
den in siedenden Bädern gereinigt und ge-  
tigt. Mürbe und zerissene Teile des Papiers  
den ausgebessert.

Bucheinband wurde originalgetreu wieder  
gestellt.

ULB Halle

006 386 679




3

*Gabriele Grauer*

Halle, den 8.10.1970

*Th. 4968*







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



4

RUM  
CARVM  
LIUM  
*Tertia*  
DE  
GUEINZIO  
si Hallensis  
*ente*  
DÖBELINO,  
*Saxone*  
EPHANI  
XLIII.  
XONUM  
*Melchioris Oel-*  
*ely.*

